Astronomia

Broscii Nicolai: Quaestio astronomica de octava sphaera.

Br.





QVÆSTIO ASTRONOMICA DE OCTAVA SPHÆRA.

Publicè ad disputandum,

Sub Felicissimis Auspicijs.

Magnifici Perillustris & Adm. Rndi Domini.

D. ALBERTI ŁANCVCKI,

I.V. Doctoris ac Professoris, Ecclesiarum Collegiatarum Pilecen: Archidiaconi SS. Omniũ Cracouiæ Cancellarij & S. Michaëlis in Arce Cracouien:

CANONICI, &c.

Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Studij Generalis

RECTORIS VIGILANTISSIMI.

A

M. NICOLAO OBROSCIO

Phil: Doct: Astron: & Geometr: in Coll. Min. Ordinario Professore, ac interea Artisticæ Facultatis Decano. In Perdaugusto DD. Theologorum Lectorio.



Anno Domini 1668. Die 22. Mensis Septembris Horâ 12.

PROPOSITA.

CRACOVIÆ,
In Officina ALBERTI SIEKIEŁOWIC, S.R.M. Typogr.

QVÆSTIO.

VIn Octaua Sphæra, quæ non tantùm Stellas fixas continet, sed illarum situs, & Planetarum, præcipuè tamen Solis apparentem reuolutionem, Eclipticâ suâ determinat, obseruata pluralitas distinctorum Motuum, sit sufficiens causa, ad asignandos, plures, supra octo; orbes Cœlestes nec ne?

CONCLVSIO I.

Datur Octaua Sphæra distincta à Septem Orbibus Planetarum & Primo Mobili.

COROLLARIA.

I. *Octaua Sphæra non est Primum Mobile imprimens Planetarũ Orbibus motum C. S. S.*

II. *Sphæra totalis Celestis non est vnum Cælum sed plures.*

III. *Stellæ Fixæ præter conuersionẽ diurnã mouentur in consequentia.*

IV. *Non tamen Stellæ Fixæ per se in liquido Cælo mouentur vt volunt qui Cælum liquidum statuunt, imò & Erraticæ cum suis mouentur Orbibus.*

V. *Copernicus licet difficultatis nodos in Astrorũ scientia superârit, tamen non rectè assignat Stellarum Fixarum Orbem & Solem vt extrema Vniuersi esse immobiles.*

CONCLVSIO II.

Firmamentum communiter Octaua Sphæra Stellas fixas in suo plano continet.

COROLLARIA.

I. *Eadem est distantia Stellarum Fixarum & inuariabilis inter se.*

II. *Stella noua in Cathedra Cassiopeæ obseruata in Octaua Sphæra extitit.*

III. *Stellæ Fixæ præter circulos Aequatori parallelos seu spiras etiam parallelos Eclipticæ delineant. Estq; Zodiacus Aequatori non è contra obliquus vt vult Copern. & Longom.*

IV. Orbes

IV. *Orbes Partiales in Planetarum Orbibus concepti meritò à Sellis fixis reijciuntur.*

V. *Stellæ Fixæ non dicuntur quidem esse in suis Aphelijs Perichelijs, subeunt tamen certas Passiones, communes Planetis, ratione Solis & Horozontis. Differentiæ autem illarum sex num ab inæquali à Terra distantia earum, num à visu nostro proficiscantur dubitat Tycho.*

CONCLVSIO III.

Zodiacus circulus, licet in Octaua Sphæra concipiatur vt superficies, tamen per lineam eius mediam, quæ dicitur Ecliptica, Stellarum omnium loca determinantur.

COROLLARIA.

I. *Planum Sphæræ Solis est parallelum Eclipticæ Octauæ Sphæræ*

II. *Planetarum sex in meridiem & Septentrionem, tam ascendens quàm descendens ex cursus arguit Mutuam sectionem Eclipticæ Octauæ Sphæræ cum suis orbibus.*

III. *Stellarum omnium, tàm ad Polum Arcticum, quàm Antarcticum sitarum, imò Planetarum motus in longum & latum per reductionem ad Eclipticam Octauæ Sphæræ habetur. Declinatio verò per angulum Aequatoris cum Zodiaco.*

IV. *Cunctatio quædam & quies in Stellis fixis per Tychonem inuenta, per eandem Eclipticam inuenitur.*

V. *Orbes Planetarum Auges deferentes (præter Lunæ) eandem habent periodũ cum Ecliptica Octauæ Sphæræ. contra Ptolæmeũ.*

CONCLVSIO IV.

Reuolutio Solis apparens ab Ecliptica Octauæ Sphæræ, præter alias Stellas clarissimè determinatur.

COROLLARIA.

I. *Inæqualitas diurnorum, & nocturnorum arcuum, non prouenit à motu ☉ proprio.*

II. *Annus sidereus est æqualis semper, Aequinoctialis contra.*

III. *Sol in punctis Cardinalibus Primi Mobilis existens, aliquando, non facit apparens Aequinoctium & Solstitium.*

IV. *Stellæ Arietis Octauæ Sphæræ recesserunt ab Aequinoctij Verni sectione 27.24. non Poli terræ vt Copern. & Longom.*

V. Motus Solis apparens, tàm simplex, quàm compositus, licet inæqualis sit, tamen medius est æqualis, & regula, omnium Stellarũ Contra Cardan.

CONCLVSIO V.

In Octaua Sphæra, pluralitas distinctorum Motuum, ab Astronomis obseruata, est sufficiens causa, ad asignandos plures, supra octo, Orbes cælestes.

COROLLARIA.

I. Tot Orbes Cælestes assignandi sunt, supra Octauam Sphæram, quot reperiuntur Motus, in illa, distincti, ab eius motu proprio.

II. In quolibet horum orbium concipienda est Ecliptica Mobilis, præter Eclipticam Noni Cæli, quæ est immobilis, diciturq; media seu fixa, ostendens anomaliam Aequinoctiorum & Solstitiorum tum conuenientiam.

III. Circuli partiales, seu circelli, ad initia Aequinoctiorum concepti, in quibus capita ♈ & ♎ Sphæræ Nonæ voluuntur pro semidiametrorũ suarum quantitate, remouent Eclipticas reliquas præcipuè Octauæ Sphæræ in Austrum & Boream proportionaliter, aliquando parallelas reddunt.

IV. Motus Medius verus & apparens, tàm Octauæ Sphæræ, quàm omnium, est arcus, ab initio Arietis inchoatus, in linea sua desinens. Argumentum quoq; & angulus prostaphæreseos, similiter, vt in alijs inuenitur, & nunc subtrahitur nunc additur.

V. Licet Nicolaus Copernicus Reuol L. I. Cap. XI. triplicem terræ motum statuerit, per quem L. III. Cap. III. inæquales præcessiones Aequinoctiorum saluat, referendo illas in Axem Terræ, & deflexum Polorũ Circuli Aequinoctialis: Tabulæ tamen Rudolph. P. IV. L. XXXIV. in hac re dubia & difficili, rectiùs omnibus Tabulis, suadent, omissâ subtiliori inquisitione ad supputandos motus cælestes, supponendam esse obliquitatem inuariabilem & reijciendam præcessionem Aequinoctiorum vt incertam. Ita & Tycho in Progym Astrom.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

PERMISSV MAGNIFICI DOMINI,

RECTORIS.

